

præceptum ungenti chrismate ad confirmandum fideles a Christo etiam latum est; ergo nullus est ab hoc præcepto excipiendus, nec privilegium, aut dispensatio asserenda sine fundamento; nullum autem, ut dicamus Apostolos, habuisse hoc privilegium. Primo, quia ex Scriptura non colligitur; nam Scriptura solum dicit, eos confirmasse per manus impositionem; qui autem a parte totum nominat, non excludit reliquas partes; unctio autem includit manus impositionem; ergo ex illa appellatione non potest colligi, illam manus impositionem non fuisse ungentem, seu chrismantem, ut sic dicam. Et confirmari potest, nam eodem modo, quo Lucas in Actibus, antiqui Patres dicunt, in Ecclesia dari Spiritum Sanctum per manus impositionem, ut patet ex Urbano Papa, epist. unica; et Leone, epist. 88; Augustin., lib. 3 de Baptism., cap. 46; Cypr., serm. de Ablutione pedum; Tertull. et aliis, locis supra citatis et citandis; et non propterea excludunt unctionem, neque aliam manus impositionem significant, aut requirunt, quam illam, per quam ipsa unctio fit; ergo et potest ita exponi Lucas, et ipsi Patres tacite ita illum interpretantur. Secundo, neque est ulla congruentia ad hoc privilegium asserendum, nam, per se loquendo, potius congruentius erat, ut in initio Ecclesie, quando ejus fundamenta jaciebantur, non uterentur Apostoli dispensationibus, nec privilegiis, præsertim in ministerio sacramentorum, quæ perpetuo erant futura quedam certa signa Ecclesie visibiles. Aliunde vero non est verisimile, Apostolos omisisse unctionem propter defectum materie, quia materia olei facilis erat; nam etiam vivente Christo solebant ipsi infirmos oleo inungere, Marci 6; materia autem balsami, quamvis rarior esset, et pretiosior, tamen in illa regione, et in parva quantitate facile haberi poterat. Item, si Magdalena libram unguenti pretiosi effudit super caput Christi, et si Joseph ab Arimathea, et Nicodemus emerunt centum libras mixturæ ad ungentum corpus Christi mortui, qui est credibile defuisse Apostolis exiguam quantitatem balsami ad confirmandos fideles? Non ergo id omiserunt propter penuriam materie; neque etiam propter difficultatem, quia nulla in hoc major erat, quam in ungentis oleo infirmis. Nec propter dignitatem, quia nihil de Apostolica dignitate diminuit habere potestatem sacramentis a Christo institutis alligatam; nec minus ostenditur divina virtus dando gra-

tiam Spiritus Sancti per unctionem, quam per nudam manus impositionem. Nec denique omiserunt, quia tunc daretur Spiritus Sanctus visibiliter, tum quia si hæc fuisset causa sufficiens, omne aliud signum sensibile, etiam ipsa manus impositio omittenda fuisset; tum etiam quia illud sensibile signum, quod divinitus apparebat, et non constat fuisse universale in omnibus, et fortasse non erat semper in signo aliquo, quod simul jungeretur cum infusione Spiritus Sancti, sed in aliquo effectu sensibili, qui postea sequebatur; ut, v. gr., quod loquebantur linguis, et prophetabant, ut Augustinus significat, lib. 3 de Baptism., cap. 46. Ac denique quicquid illud esset, erat quid subsequens et posterius ad actionem, quam Apostoli exercebant, ut daretur Spiritus Sanctus; ergo oportebat, ut ipsi uterentur signo re sufficiente ad confirmandum, sive postea dandus esset Spiritus Sanctus sub alio signo visibili, sive non.

4. *Præcipua hujus opinionis ratio.* — Tertio principaliter, quia ex antiqua traditione habemus, Apostolos usos fuisse chrismate et unctione, et tali manus impositione, qualis est illa, qua nunc utitur Ecclesia ad confirmandos fideles, quæ solum ea est, quæ in ipsa unctione intrinsece includitur. Assumptum patet primo ex Fabiano, dicta Epistola dicente, Apostolos non solum docuisse, sed etiam servasse consuetudinem singulis annis conficiendi chrisma, et concremandi vetus, et utendi novo. Secundo ex Augustin., 15 de Trin., cap. 28, dicente, de Apostolis: *Orabant, ut Spiritus Sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant; et subdit: Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia; quomodo dixit etiam Cypr., epist. 72, loquens de suo tempore, imponi manum, ut detur Spiritus Sanctus; et clarius, epist. 73, dicit, ritum, quem Petrus et Joan. Act. 8 servarunt, orando et imponendo manum, esse eundem cum illo, quem Ecclesia suo tempore tenebat; sic enim: Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesie offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Est etiam optimum Eusebii Papæ testimonium, epist. 3, in fine, ubi sic inquit: *Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus; ubi per sacramentum manus impositionis intelligit sine dubio sa-*

eramentum chrismatis, quod unctione perficitur; et tamen subjungit: *Nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur, peractum esse; sentit ergo, illud ipsum manus impositionis sacramentum ab Apostolis peractum esse; et hæc esse Apostolicam manus impositionem, quæ in Actibus Apostolorum legitur. Hoc tandem confirmant verba Innoc. III, in cap. unico, § penult., de Sacra unctione, scilicet: Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine confirmatio dicitur; igitur illa tria, chrismatio, manus impositio, confirmatio, in præsentem idem sunt, atque idem significant; et tamen subdit statim: Cum cæteras unctioes simplex sacerdos possit conferre, hæc non nisi Episcopus confert, quia de solis Apostolis legitur, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant; sentit ergo illam manus impositionem fuisse eandem, quæ nunc est; quæque nomine etiam chrismationis, seu unctiois in fronte significatur. Atque juxta hæc sententiam, quæ sine dubio satis pia est, et probabilis, cessat omnis præsentis quæstionis difficultas, quia consequenter dicendum est, et aliquam manus impositionem esse de essentia hujus sacramenti, et nihil aliud præter unctionem manu Episcopi factam, quia illa est quedam manus impositio, quam esse sufficientem probat satis præsens Ecclesie usus, a quo ostendimus substantialiter non discrepasse Apostolorum ritum. Neque contra hæc sententiam urgent conjecturæ adductæ in favorem præcedentis sententiæ; omnibus enim jam satisfactum est, præterquam verbis Concil. Florent. dicentis, loco manus impositionis Apostolicæ dari in Ecclesia confirmationem. Ad quæ facilis est responsio, illis verbis non significari diversa esse hæc sacramenta, aut diversos illorum ritus, sed solum hoc facere Episcopos nunc confirmando, quod Apostoli faciebant manus imponendo, et ideam nunc significari nomine confirmationis, quod tunc manus impositionis; ac denique, sicut Episcopi dicuntur successisse loco Apostolorum, quamvis Apostoli fuerint veri Episcopi quoad substantiam et potestatem ordinis ejusdem rationis cum suis successoribus, superiores tamen in jurisdictione, et aliis gratiis, ita nostra confirmatio esse dicitur loco illius manus impositionis, non quia in ritu substantialiter differat, sed potius quia eandem sacramenti rationem retinet, licet in quibusdam effectibus et gratiis majorem quandam*

excellentiam habuerit Apostolorum manus impositio.

5. *Tertia opinio.* — Tertia, et media sententia est, Apostolos interdum usos fuisse nuda manus impositione absque unctione, ut daretur Spiritus Sanctus ad robur, et confirmationem fidelium, interdum vero usos fuisse unctione chrismatis. Ita sentit D. Thom. hic, art. 2, ad 4, et art. 4, ad 4, quam, non ut certam (ut quidam temere dicunt) sed ut probabiliorum sequuntur Thomistæ, Palud., dist. 7, quæst. 2, art. 2, num. 42, et art. 3, num. 24; et Soto, art. 2, ad 4; Ledesm. hic, art. 2, dub. 5; et idem sentit Durand., quæst. 2, ad 4; et Gabr., quæst. 4, art. 5; et Scotus, quæst. 4; Richard, art. 42; quanquam revera omnes hi auctores dubii sunt, et non parum favent præcedenti sententiæ, præsertim Palud. et Durand.; atque hæc opinionem secuta sunt duo recentiora provincialia Concilia, Moguntinum in doctrina fidei, cap. 43, et Concil. Coloniense, in doctrina de hoc sacramento. Fundamenta hujus sententiæ sumenda sunt ex præcedentibus, nam quod aliquando Apostoli non fuerint usi chrismate, sed nuda manus impositione, significant verba Act. 8 et 9, simpliciter et ut jacent intellecta, et similiter verba supra tractata ex Concil. Florent. et conjecturæ adductæ in prima opinione; quod vero aliquando etiam usi fuerint chrismate, suadent argumenta secundæ opinionis, præsertim secundum et tertium, quatenus ex auctoritate antiquorum probant, Apostolos confecisse chrisma suo tempore, eoque usos fuisse, atque adeo sacramentum confirmationis ministrasse. Nam juxta hæc opinionem consequenter dicendum est, illam priorem simplicem manus impositionem, revera non fuisse sacramentum confirmationis, quod nunc habemus, quia in ritu sensibili valde differebat; imo nec simpliciter sacramentum fuisse, quia non erat cæremonia firma et stabili lege instituta; tamen quia per illam fiebat idem effectus quoad substantiam, qui fit per sacramentum confirmationis, et quia tunc supplebat vicem hujus sacramenti, ideo (dicit hæc opinio) et illa manus impositio interdum sacramentum dicitur, et e contrario nostra confirmatio, dicitur manus impositio, et tanquam unum quid judicantur; atque in hunc modum respondendum est, juxta hæc opinionem, ad fundamenta secundæ sententiæ, quatenus illi obstare possunt.

6. Quod si inquiras, quando Apostoli uno

vel alio modo usi sunt ad confirmandos fideles, regula generalis, quæ ex prædictis auctoribus sumi videtur, hæc est, quod quando Spiritus Sanctus dabatur missione visibili, seu cum effectu sensibili, doni linguarum, aut similibus, tunc Apostoli confirmabant sine unctione; quando vero cessarunt illa signa visibilia, tunc cœperunt Apostoli uti chrismate. Hæc autem duo, quidam distinguunt per personas, non per tempora; nam Gentilibus, inquit, Spiritus Sanctus dabatur modo visibili, ut patet Act. 10; Judæis autem dabatur sine effectu sensibili, quia signa, ut Paulus ait, 1 ad Cor. 14, *data sunt infidelibus, non fidelibus*; et quia oportuit signis ostendi gratiam legis novæ communem esse gentibus. Hanc opinionem citat Ledesma hic, art. 7, dub. 4, ex Beda, Act. 10, et Waldensi, in tom. 2 de Sacram., cap. 11; sed eo loco nihil dicit, neque inferius, c. 3 et seqq., in quibus de hoc sacramento disputat; nec Beda de hac re ibi loquitur, sed de alio speciali miraculo, quod Act. 10 accidisse narratur, quod scilicet Spiritus Sanctus descendit in eos, qui nondum fuerant baptizati, quod specialiter factum est in Gentilibus ad eorum vocationem confirmandam.

7. Unde hic dicendi modus improbabilis est; nam, ut omitam omnes discipulos, qui in die Pentecostes Spiritum Sanctum visibiliter cum Apostolis acceperunt, illi, qui in Samaria confirmati sunt, Judæi erant; et tamen visibiliter eis datus est Spiritus Sanctus; imo ex Act. 10 colligitur, nunquam fuisse Spiritum Sanctum visibiliter datum gentibus, ante Cornelium, et socios ejus, cum tamen constet sæpius fuisse antea visibiliter datum; ergo ad Judæos etiam illo modo mittebatur. Verius ergo fit illa distinctio per temporum diversitatem; nam in initio Apostolicæ prædicationis dabatur Spiritus Sanctus sub signo, vel effectu visibili; et hoc erat regulare et ordinarium, et conveniens ad fidem suadendam et stabiliendam; postea vero viventibus adhuc Apostolis, cessavit ille extraordinarius modus mittendi Spiritum Sanctum, quia jam fides et Ecclesia cœperat sufficienter fundari, et tunc cœperunt etiam Apostoli uti unctione chrismatis tanquam regulari ac ordinario medio a Christo instituto ad confirmandos fideles, cum prius, ex speciali commissione, nuda manus impositione uterentur.

8. Atque ita etiam juxta hanc sententiam facile expeditur proposita quæstio; dicendum est enim nullam manus impositionem distinc-

tam ab unctione chrismatis, manu Episcopi facta, esse de essentia hujus sacramenti, ipsam vero unctionem esse essentialem, et utrumque satis constare ex dictis, et ex usu Ecclesiæ, neque huic veritati obstare Apostolicum factum, quia illud non fuit juxta legem et institutionem sacramentorum, sed præter illam ex speciali commissione, vel dispensatione; et consequenter, signum illud simplicis impositionis manus non fuisse verum sacramentum confirmationis, quoad substantiam; fuisse vero, quoad effectum.

9. Quod si quis tandem inquireat, quænam istarum opinionum probabilior sit, respondeo breviter, secundam et tertiam esse longe probabiliores prima, quia non videtur negandum, Apostolos aliquando chrismate usos esse ad confirmandos fideles, tum propter auctoritatem antiquorum Patrum; tum quia per se decens fuit et conveniens, omnia sacramenta viventibus Apostolis fuisse in usu in Ecclesia, et præsertim hoc, quod est proprium Episcopalis muneris; tum denique, quia non est verisimile illa miracula dandi Spiritum Sanctum visibiliter et extraordinario modo multo tempore durasse. Inter secundam autem et tertiam opinionem, quantum ad illud, in quo differunt, difficile est ferre iudicium, quia res est valde ambigua et dubia; placet tamen non discedere a D. Thom. sententia, præsertim quia etiam Concil. Florent. in eam inclinasse videtur, de quo pauca addemus in sect. seq.

#### SECTIO V.

Utrum tota hæc forma sit essentialis: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

4. Difficultas circa hanc formam non minor est, quam circa materiam hujus sacramenti, quia nihil omnino de illa legimus in Scriptura sacra; si autem ad traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperimus varietatem. Primo enim in edicto Constantini legimus, Sylvestrum hac forma confirmasse Constantinum: *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in consignatione fidei*. Secundo, Ambr., lib. 2 de Sacram., cap. ult., hanc ponit formam: *Deus, qui te regeneravit omnipotens, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam*. Tertio, Alcuinus, lib. de Divinis officiis, cap. de Sabbato sancto, dicit, Romanum Pontificem confirmaturum bapti-

zatos, solitum esse orationem præmittere, per quam eis invocatur septiformem Spiritus Sancti gratiam, eaque finita facere crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti pax tibi*. Unde videtur priorem orationem esse tantum præambulam et cæremonialem, solaque posteriora verba poni ut essentialia huic formæ; atque eodem modo refert hujus sacramenti administrationem Durand., in Rationali divinor. officiorum, lib. 6, c. 84. Quarto, alii Patres scribentes de hoc sacramento, vel nullam faciunt mentionem formæ, sed solius unctionis, ut Cyrillus Hierosol., catech. 4 Mystag., et Dionys., cap. 2 de Eccles. Hierarchia; vel ad summum, adjungunt Pontificis vel Episcopi orationem, ut videtur etiam Dion., c. 4 de Ecclesiastica Hierarchia, et clarius August., 45 de Trinitate, c. 26, qui id colligit ex verbis Act. 8: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*. Quem morem, inquit, in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Unde Amalarius, lib. de Eccles. offic., c. 27, sentit, formam hujus sacramenti esse deprecativam, neque aliam ponit præter orationem, per quam Episcopus Spiritum Sanctum postulat infantibus, cum eos signat, quia illi non dant Spiritum Sanctum, sed dari petunt.

2. *Prima conclusio*. — Nihilominus dicendum imprimis est, formam in prædictis verbis contentam, esse sufficientem ad sacramentum confirmationis conficiendum. Conclusio est de fide, primo, ex definitione Concil. Florent. Secundo, quia certum de fide est, esse in Ecclesia Romana legitimum sacramentorum usum, cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis; usus autem legitimus, ut minimum, requirit applicationem eorum omnium, quæ ad verum sacramentum conficiendum sufficient; cum ergo Romana et Catholica Ecclesia hac sola forma utatur, de fide certum est illam esse sufficientem. Tertio, id egregie declarat D. Thom., quia per hanc formam significantur omnia, quæ significari oportet, scilicet, materia remota, et proxima, finis, et effectus, causa principalis, instrumentalis, ministerialis, et actus ejus; nihil ergo aliud desiderari potest, ut sit sufficiens.

3. *Secunda conclusio*. — Secundo dicendum est, hæc verba continere formam necessariam, et essentialem constitutionem hujus sacramenti, nullamque aliam posse esse sufficientem, quæ huic non æquivaleret, saltem in sensu et significatione substantiali. Est

eodem modo certa, nam Concil. Florent. assignans materias, et formas sacramentorum, præsertim quando in particulari eas præscribit, solum determinat eas, quæ necessariae et essentielles sunt. Imo hoc videtur esse de ratione formæ, quia cum constituat speciem, debet in indivisibili consistere. Unde Theologi omnes dicunt (ut supra visum est), mutationem, quæ variat sensum formæ, illam prorsus destruere. Tertio probatur, quia sacramentum confirmationis unum et idem est in universa Ecclesia, quia sacramenta debent esse eadem apud omnes, saltem essentialiter, ut supra visum est; ergo nulla alia forma potest sufficere præter dictam, nisi ei in sensu et significatione æquivaleret. Ultimo tandem ita declaratur, quia necesse est in hoc sacramento intervenire aliquam præscriptam verborum formam; hoc enim est de ratione sacramentorum novæ legis, ut supra visum est; ergo necesse est, talem formam esse a Christo Domino immediate institutam, a quo totum sacramentum immediate institutum esse ostendimus; ergo necesse est, illam formam esse unam et eandem, quia institutio Christi unica tantum fuit et mutationem non recipit; ergo, si hæc forma est sufficiens, est etiam necessaria et unica, neque ulla alia potest sufficere, nisi quatenus eadem est cum ista in sensu et significatione. Quo fit, sicut in omni loco, ita et in omni tempore esse, semperque fuisse hanc formam necessariam; et sicut nunquam defuit in Ecclesia usus hujus sacramenti, ita neque usum hujus formæ defuisse; quod si aliqua varietas invenitur, mutatio erit accidentalitatis, non substantialis.

4. *Singulæ particule hujus formæ expendantur*. — *Signo, et confirmo*. — Sed, ut hoc amplius declaretur, per singulas particulas illius formæ discurrendum est, et quomodo singulæ accidentales, vel essentielles sint, explicandum. Primum ergo certum est, verba illa, *Signo, et confirmo*, quatenus significant actionem ministri; et pronomen, *te*, ut significat subjectum, circa quod illa actio versatur, esse de essentia hujus formæ, sicut dictum est de illis verbis formæ baptismi, *Baptizo te*, est enim eadem ratio, ut omnes Theologi docent; videri ergo possunt, et hic applicari, quæ ibi dicta sunt. Difficultas autem est, an geminatio illorum verborum, *Signo, et confirmo*, sit de essentia, vel alterum proferre sufficiat; et ratio dubitandi esse potest, quia, quodcumque illorum per se

proferatur, manet integer sensus formæ; ergo manet integra forma, quæ magis ex sensu, quam ex verborum pluralitate, pensanda est; antecedens patet, nam si dicat, *Signo te chrismate salutis*, significat minister totum actum suum, quod est signare et ungeri, quia non potest signare chrismate, nisi ungat; addendo autem illam particulam, *salutis*, satis significat effectum et finem hujus actionis. Rursus, si tantum dicat, *Confirmo te chrismate salutis*, utrumque etiam satis explicat, maxime secundum communem sensum et usum illius verbi, *Confirmo*, qui potissimum attendendus est in verbis sacramentorum; assumptum patet, quia sicut confirmatio, ut est nomen, non tantum significat effectum sacramenti confirmationis, sed etiam sacramentum ipsum, et in ea significatione hæ voces, confirmatio, signaculum, et similes, synonymæ sunt, ita verbum, *Confirmo*, non tantum significat interiorem et spiritualem unctionem, quæ est effectus sacramenti, sed etiam exteriorem et sensibilem, quæ est materia sacramenti; ergo in hac significatione perinde est dicere, *Confirmo te*, et *signo*, vel ungo. Unde quidam referunt, in quodam ordine Romano antiquo solum haberi hanc formam, *Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: quod si ita est, reddit probabilem hanc sententiam.

3. Nihilominus dicendum videtur utrumque verbum esse essenziale, prout D. Thom. hic sentit, et Alexand. Alens., 4 part., quæst. 24, memb. 2, art. 1, § 2; alii Doctores, dist. 7; clare Richard., art. 1, quæst. 2; Bonav., quæst. 4; Scotus, quæst. unie.; Gabr., art. 1; Palud., quæst. 1, num. 24; Soto, art. 4. Favet Concil. Florent. ponens in forma utrumque verbum; quod significavit etiam Ambros., lib. de his qui initiantur, cap. 7: *Accepisti*, inquit, *signaculum spirituale*; et infra: *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus*; et lib. 4 de Spiritu Sancto, cap. 6: *Unxit nos Deus, et signavit nos*; et fundamentum habet in verbis Pauli 2 ad Corint. 1 dicentis: *Qui confirmat nos, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*; ubi Theodoretus: *Ipse*, inquit, *nos unxit, et sanctissimi Spiritus signaculo dignos ducit*; et Anselmus: *Signavit*, inquit, *nos signo Crucis, quod nostris frontibus imposuit, et dedit pignus Spiritus, quando per impositionem manus accepimus Spiritum Sanctum*. Videtur ergo Paulus eo loco ad hoc sacramentum, et ad verba formæ

ejus alluisse. Ratio vero est, quia illa duo verba non possunt dici synonyma, neque æquipollentia, nam quolibet dempto, aliqua significatio substantialis tollitur: ergo, vel utrumque est de essentia, vel neutrum, quia non est major ratio de uno, quam de alio, et quia neutrum supplet significationem alterius. Assumptum declaratur, quia per verbum, *signo*, vel *consigno*, proprie significatur actio Pontificis, et quamvis ex usu audientium statim illud intelligatur de consignatione crucis, tamen ex vi verbi non id significat, sed generalior et abstractior est ejus significatio; et ideo necesse est, non omittere particulam illam, *signo crucis*; et ideo non satis esset dicere: *Consigno te chrismate salutis*, præsertim, quia expressa crucis mentio et significatio valde consentanea est fini et effectui hujus sacramenti, et ideo propter se potuit esse necessaria; dici ergo necessario debet, *Signo te signo crucis*, et tunc non posset commode adjungi alia particula, et *chrismate salutis*, nisi interposito alio verbo, *Confirmo*, vel simili, quod tamen omitti nullo modo potest, quia alias non satis explicaretur materia. Rursus, si omitteretur verbum, *Confirmo*, non satis significatur effectus hujus sacramenti, qui per illud verbum exprimitur. Ac simili modo e converso nec verba illa, *Confirmo te chrismate salutis*, sufficere possunt sine aliis, quia per ea non explicatur expresse signum crucis. Dices, posse addi hoc modo: *Confirmo te signo crucis, et chrismate salutis*. Respondetur: hic modus esset etiam insufficiens, quia licet exprimeretur signum crucis, ut res quædam, non tamen ut actio ministri consignantis, et ideo quodcumque horum verborum tollatur, non manet integer sensus hujus formæ. An vero loco istorum verborum possint alia poni, quæstio communis est omnibus formis sacramentorum. Nam si verba non sint æquipollentia et synonyma, non solum non licet unum pro alio commutare, verum etiam, si id fiat, non fiet sacramentum; si autem verba sint synonyma, etiam si mutatio fiat, valida erit forma, erit tamen peccatum magis vel minus grave pro materiæ qualitate et Ecclesiæ consuetudine, a qua non licet in hujusmodi rebus discrepare, quæ omnia insinuavit D. Thom., art. 4, ad 2 et 3. Neque oportet exempla adhibere, quia res est communis et facilis; solum adverto, si verbum confirmandi mutetur in verbum ungerendi, mutationem videri substantialem, neque manere

sufficientem formam, quia verbum, *Confirmo*, significat sanctificationem interiorem, quæ non satis explicatur verbo ungerendi, ut eadem solutione ad 3 D. Thom. indicat.

6. Secundo dubitari potest, an expressa invocatio Trinitatis illis verbis, *In nomine Patris, etc.*, sit de necessitate hujus formæ. Respondetur, sine ulla dubitatione illam particulam esse essentialem; ita enim intelligitur ab omnibus Theologis, et probari potest ex Concil. Florent., et usu Ecclesiæ, et aliis fundamentis supra adductis. Et ratio, seu congruentia est, quia hoc sacramentum est quædam baptismi perfectio, et ideo in forma utriusque sacramenti fit expressa Trinitatis professio; in hoc etiam sacramento armatur homo ad fidem profitendam, in qua præcipuum est Trinitatis mysterium. Est etiam Trinitas principalis causa perfectionis et roboris spiritualis, quod in hoc sacramento datur, et finis, ad quem hæc confirmatio ordinatur, ut homo illi inseparabiliter adhæreat; et ideo merito in hac forma fit expressa Trinitatis mentio, de qua re possent tractari omnia, quæ in forma baptismi diximus de hujusmodi invocatione; nam quoad hanc partem eadem est ratio utriusque formæ.

7. Ad rationem dubitandi. — Ad primum.

— Ad secundum. — Ad tertium. — Ad quartum. — Ad rationem dubitandi in principio positam, quod attinet ad auctoritatem negativam Scripturæ sacræ, communis est hæreticorum objectio, et Catholicorum etiam communis ac certa responsio, non oportere, ut omnia, quæ ad fidem spectant, in Scriptura expresse contineantur; multa enim sola traditione habentur, ad quam sufficit perpetua Ecclesiæ observatio, quæ si talis est, ut a nullo Pontifice, vel Concilio habeat initium, est sufficiens signum Apostolicæ traditionis, juxta vulgatam et receptam Augustini regulam, lib. 4 de Baptism., cap. 24; hujusmodi autem est traditio hujus formæ, ut constat ex usu Ecclesiæ, cujus initium et institutio a nullo Pontifice, vel Concilio incepit. Quod vero attinet ad Patres antiquos, non mirum est, non reperiri in eis vulgatam et expressam hujus formæ mentionem, quia timebant occulta nostræ fidei mysteria vulgo prodere sine magna causa, et necessitate, quod agens de præsentem sacramento, satis significavit Innoc. I, dict. epist. 4, cap. 3, ubi, cum de unctione chrismatis nonnulla docuisset, subdit: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem res-*

*pondere*; in quo satis significat, aliqua et præscripta verba solere a Pontifice proferri, ministrante hoc sacramentum, quamvis ea non explicet propter dictam causam. Et similiter alii Patres compendio indicant hanc formam nomine deprecationis Episcopalis, nunquam tamen aliquid docent, quod veritati prædictæ formæ repugnet. Unde ad primum de Edicto Constant. respondetur, Constantinum ibi non retulisse omnia, quæ Sylvester dixit, aut fecit, sed brevibus ac concisis verbis illa insinuasse. Ad secundum respondetur, Ambros. eo loco non solum non describere formam hujus sacramenti, verum etiam nec de unctione hujus sacramenti ibi disputare, sed de cæremoniali unctione, quæ a presbytero fit in baptismo. Ad tertium respondetur, vel Alcuinum non retulisse integram formam, vel certe per orationem illam, quam dicit præmittere Pontificem, quando signat et ungit baptizatum, intelligere priora verba hujus formæ, quæ in illis terminantur, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Quod clarius significavit Durand. citato loco, ubi ait, dicere Pontificem, *Consigno eum signo sanctæ Crucis, etc.*, quæ mutatio non esset substantialis, ut supra in simili dictum est, tractando de forma baptismi; quia tamen hi auctores nunquam satis expriment omnia verba essentialia, fortasse verius est, eos non retulisse ritum essentialem quoad omnia, sed tantum accidentalem solemnitatem. Ad quartum jam responsum est ad Patres supra citatos, idemque ad Amalarium dicendum est. Quod vero ibi tangitur de forma deprecativa, eodem modo expediendum est, quod dictum est supra de forma baptismi; non enim sufficit proprie forma per modum deprecationis, sed esse debet per modum indicativi, aut saltem imperativi, ut significetur efficacia sacramenti, et ut idem sensus formæ retineatur.

8. *Utrum Apostoli fuerint hac forma usi.*

— Responsio. — Hinc vero inquiri potest, an Apostoli in confirmandis fidelibus usi fuerint hac forma, sicut supra quæsitum est de unctione chrismatis, in quo possunt esse tres modi opinandi similes illis, quos præcedente sectione tractavimus de unctione chrismatis; quibus addi potest, quosdam sentire, Apostolos nunquam confirmasse sine hac forma, etiam tunc, cum per simplicem manus impositionem sine chrismate confirmabant. Sed est improbabilis valde et inconstans sententia; primum enim expresse est contra D.